

quod cuiuscunque sit, nostro & in his & in ha-
ctenus dictis & dicendis præferimus, semperque
præferemus.

Partitio V.

An Accidens possit producere sub-
stantiam?

Quædam
Præsuppo-
nuntur ad
difficultatē.

Præmittendum est in quolibet composito, &
esse formam substantialem, & formas acci-
dentales: forma substantialis est forma produ-
ctiua alicuius substantiæ sibi similis, v. g. forma
ignis alterius ignis: forma accidentalis est pro-
ductiua accidentis, calor enim est productiua
alterius caloris, cuiuslibet ergo productioni Re-
spondebit forma producens, sed tota difficultas,
quam nunc examinamus, est, an forma acciden-
talis attingat immediatè productionem formæ
substantialis?

Præmittendum quoque non quodlibet ac-
cidens esse operatiuum, sed solum accidens de
genere qualitatis, nec tamen omne, vt commu-
niter traditur in prædicamento qualitatis.

Atque vt status difficultatis fiat clarior, qua-
ritur in præsentibus, quando producit ignis v. g.
in stupa, an ad illam productionem immediatè
influat forma ignis producentis, an verò tan-
tummodò mediatè? Id est mediante calore ita
vt calor in virtute formæ substantialis ignis produ-
cat immediatè ignem in stupa: coincidentque
difficultas proposita in titulo cum ea, quæ qua-
ritur an formæ substantiales de se sint operati-
uæ? si enim hoc sit, substantia producet sub-
stantiam, & accidens producet accidens.

Chantur
Authorit.

Super hac re (quam communiter exami-
nant hic Physici, quos præ multitudine non cito
& nonnulli Theologi *prima parte circa quæst. 54.
art. 3. vt Caietanus, Bannes, &c. & in primo di-
stinct. 37. vt Scotus ibi quæstione vnica. & in 4. di-
stinct. 12. quæst. 3. Durandus in 2. distinct. 1. quæst.
4. & in 4. dist. 12. quæst. 2.*) duæ sunt famosissimæ
opiniones: prima est Thomistarum vnanimitè
tenentium formam substantialem non esse ope-
ratiuam, sed accidens in virtute substantiæ pro-
ducere substantiam: ex diametro opposita est
sententia Scotistarum volentium formas sub-
stantiales de se esse operatiuas, proindeque quan-
do sunt approximatae suis passis ipsæ vere, & im-
mediatè attingunt productionem formæ sub-
stantialis: quod si ipsi opponas: aliquando for-
ma substantialis est absens vt pote quando ex
silice excutitur ignis, tunc quomodo, & à quo-
nam produceretur ille ignis? Respondent quod
calor vltimatè disponat passum, cumque forma
sit absens, primum agens id est Deus supplet ab-
sentiam formæ substantialis: verum quia non
ita varia reperio argumenta pro vtraque opinio-
ne, ideò vnica resolutione proponam, & stabi-
liam opinionem Scoti, si prius destruxerimus,
quandam nouam Pererij & Phys. cap. 13. senten-
tiam: tenet siquidem accidens etiam in sua pro-
pria virtute, & per modum causæ principalis
posse producere substantiam.

Quam autem sit hoc à veritate alienum,
his probatur contra Pererium rationibus.

Rationes
Pererij.

Prima est. Causa principalis ea est, quæ ha-

bet proportionem cum effectu, ita vt sit perfe-
ctior, vel æque perfecta ac ille: sed sola sub-
stantia est talis respectu alterius substantiæ, vt
vnus ignis respectu alterius ignis; sed accidens
semper est imperfectius ipsa substantia, vt de se
manifestum est, ergo nullo modo potest acci-
dens in sua propria virtute, & vt causa principa-
lis ad productionem substantiæ attingere.

Secunda: si accidens in propria virtute pro-
duceret substantiam, id præstaret vel vt causa
æquiouoca: vel vt vniouoca, non vt causa æquiouo-
ca, quia causa æquiouoca debet esse nobilior suo
effectu, sed accidens non est nobilior substan-
tia: non etiam vt vniouoca, alioquin dicendum
foret accidens esse vniouocum cum substantia:
hac ergo destructa sententia stabiliamus vt pro-
babiliorē sententiam Scoti, fundamentaque
Thomistarum diluamus.

DECISIO.

Resolutio. Multò probabilis est accidens nec
in propria, nec in aliena virtute posse pro-
ducere substantiam; primum patet, quod scilicet
non in propria virtute ex supra dictis contra
Pererium contra Thomistas ergo nunc est pro-
banda resolutio: Nullum imperfectius potest
producere perfectius: sed omne accidens est im-
perfectius substantia, ergo nullum accidens po-
test producere substantiam, hoc est argumen-
tum commune, quo vtuntur Scotistæ contra
Thomistas, quod tamen labefactare conantur
Thomistæ quibusdam repositionibus.

Respondent ergo Thomistæ concedendo
maiorē de productione in virtute propria; ne-
gando verò de productione in virtute superio-
ris causæ, qualis est productio, dum accidens
producit substantiam.

Sed contra Infito: vel illa virtus, quæ mediā
accidens producit substantiam, est virtus acci-
dentis, seu virtus connaturalis accidenti, vel est
virtus causæ principalis decisā in causam instru-
mentalem: si primum dicatur, quandoquidem
illa virtus erit virtus connaturalis accidenti,
causa imperfectior ex virtute sua connaturali
producet effectum se nobiliorem: at causa de-
bet semper esse saltem æque nobilis, ac eius effe-
ctus, estque vulgare pronuntiatū in Philosophia:
si secundum dicatur, experientia patefaciet con-
trarium, nam Deus v. g. producat calorem extra
subiectum in gradu valdè intenso, ille calor ab-
que dubio producet ignem in stupa debite dis-
posita: imò ferrum valdè calidum, licet non sit
ignitum, accendit chartam sibi appositam, at-
amen ex suppositione nullus est ignis in ferro, à
quo deriuetur virtus cadens in ipsum calorem
productiuū ignis in charta: Respondent ad hoc
Thomistæ, virtutem illam in accidente produ-
ctiuam substantiæ esse debitam ipsi accidenti ex
eo quod sit accidens talis substantiæ, v. g. virtus
productiua ignis in calore est debita naturaliter
ipsi calori ex eo quod calor sit accidens ignis:
vnde dicunt illam virtutem non esse transiti-
uam, sed intransitiuam, vt loquitur Caietanus,
id est quod non transeat à substantia ad acci-
dens: sed sit innata ipsi accidenti.

Verum neque hoc satisfacit, quia si sit in-

H 4 nata

Nam 18.
Distinguit
autem quid
neg. in pro-
pria neg. in
aliena vir-
tute acci-
dens produ-
cat substan-
tiam
Prob. primo.